

IAVRINO CASTRO A CHRISTIANIS

recuperato, Anno Christi 1598.



Dolphus Schwartzenbergius Baro laude bellicâ celeberrimus, viris rei militaris peritissimis assumptis, aliisque rebus necessariis adhibitis pulcherrimum facinus aggreditur. Comorrâ profectus Danubium cum universis copiis trajecit præmissâ parte equitatus, quæ iter exploraret: obvios interciperet. Cum jam haud procul à Jaurino abessent, consilium suum de castro tentando aperit: Fabacurtio mandat, ut machinarû unâ clatros ligneos, qui ante portam, effringat. Caujaco negotium datum, ut majorem machinam quam posset occultissimè admoveret, ejusque vi foribus portæ disjedis aditum patefaceret. Inde locus cuique designatus, ad quem se, oppido occupato, reciperet. Ex Hussaris quinque Turcici Idiomatis periti subornantur, quibus Turcarum res satis cognitæ essent. Eos Turcæ excubitores inclamant: respondent Budâ se venire, & literas ad Araonis Agæ Budensis sponsam, aliaque nonnulla in mandatis habere: pontem ergò dimitterent, quo, ab hostibus Christianis tuti, commeatus ante lucem importari possent, callidè hâc ratione Turcis imponentes. Caterum caligo densa, è Danubio ascendens, ita cœlum texit; tantaque vis venti exorta fuit: ut omnem strepitum adventantis exercitus à Turcarum auribus avertit. Nostri muros oppidi subeunt: pontem demissum præter spem reperiunt: mox magnâ cum celeritate machinam ad portam interiorem (exterior enim, quod clausa non fuisset, ad primam nostrorum manum patuit) admovent. Ibi demum vigiles, quid ageretur, animadvertentes clamorem edunt, & sclopetorum ictibus, tres è nostris conficiunt. Cum enim ingenti cum fragore porta dissiliisset, aditumque nostris præbuisset, mox effusi nostri in urbem milites, obvios quosque contrucidant: loca munita & tormenta capiunt: reliquas portas obsident. Hinc Turcæ subito tumultu lectulis suis exciti, trepidare, discurrere, inermes, seminudi arma capere: illinc nostri pertinacissimè pugnantes cedere, fugientibus instare, non sexui, non ætati parcere. Quinque duravit horas hic conflictus, in quo tantâ contentione

ano.